

cupiunt rigidioris ethicae Magistri, & novi Ecclesiae Reformatores; quibus merito intorseris illud Sancti Augustini: *Vos estis morum ruina, qui ipsius fidei, supra quam mores adificandi sunt, niti mihi fundamenta subvertere.*

4 At, inquiet Quesnellus, tam cruda, qualia hic nobis imponuntur, minimè admitimus; sed averfamur, & auditu solo nobis horrorem incutiunt; cui respondeo, recepto ab omnibus axiomate, tolle antecedentia, si vis cavere sequentia. Alioqui nec Theologi, nec Philosophi nomen meretur, qui, posito improbo antecedente, consequens necessarium, & evidens non agnoscit. In jure quoque tam civili, quàm Ecclesiastico *antecedens trahit ad se consequens l. quamvis*, & ibi Bald. C. de Fideicom. & l. 11. ff. de Juris. om. judi.

5 Cumque consequentia, græcè ἀκολουθία, secundum Philosophum sit ex præcedentibus illatio, multa permittuntur per consequentiam, quæ principaliter non admitterentur, *Facit*. Lex 1. ff. de Authorit. tut. Abbas in c. fin. de for. comp. Adde text. singu. & ibi. Bartol. in l. Interdum §. Qui furem ff. de Furt. pro limitatione l. Solemus, §. Latrunculator, ff. de Judi. & Bart. in l. Quoties per illum text. c. de Judi. & in l. Omni innovatione c. de Sacrosancta Eu. & in l. Titia, ff. solut. matr. & facit quod dixi. Sup. in verbo Accessorium, & vide l. Moris 91. ff. de Pe. de sponsa. Cum apud de of. dele. Cum super Abbacia ff. de Injur. l. 1. §. Fin. ibi per consequentiam.

CAPUT VII.

Solvuntur Objectiones Explicationis Apologeticae.

1 **N**USQUAM Quesnellus propositionem secundam defendit operosius, quàm in *Explicatione Apologetica*, adversus Decretum Lucionensis, & Rupellensis Antistitum, & aliquot annis ante in *Anatomia sententiae Archiepiscopi Mechliniensis*. In primis provocat nos ad Patrem Antoninum Massovliè Ordinis Prædicatorum, qui in suo libro *Sanctus Thomas sui interpretis* Dissertatione 3. Quæst. 1. art. 3. sic ait „ Cum dictum est „ Joannis 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* v. 66. „ *propterea dixi vobis, nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.* Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere,* & 1. ad Corinth. 12. v. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto;* & alia ejusmodi plura, quibus nemo est, qui S. Augustinum, & S. Thomam magistros „ audierit, qui non existimet significari effi-

„ cacem gratiam, & quidem tantam, ut tractio dici potuerit, quæ vim quamdam adhibitam significare videtur, & quæ *Violentia* adhibeatur, non voluntas excitetur, ut advertit S. Augustinus tract. 26. in Joannem „ nem „ .

2 Illationem, quam ex his verbis in perditæ suæ causæ adjumentum, elicere molitur Quesnellus, prævenit P. Massovliè, eique datâ operâ respondet verbis mox sequentibus; quæ pro inolita sua perfidia non suppressisset Author *Explicationis Apologeticae*, nisi pestiferis doctrinæ suæ principiis dissentanea esse intellexisset. Sic igitur pergit P. Massovliè: „ Inde statim inferri posse videtur; ergo cum deest efficax gratia, etiam deest reipsa posse, neque verè, ac reipsa Dei præcepta possibiliter dici poterunt, „ quamdiu deerit efficax gratia; siquidem „ *nemo potest venire* ad Christum, ac veniendi „ & credendi præceptum implere, nisi ipsum „ Pater trahat, & quidem efficaci gratiâ trahat. Sed occurrit observatio supra posita „ duplicis sufficientis auxilii. Utrumque verissimum est, sinè eâ Divinâ Patris tractione „ ne neminem posse & venire ad Christum, „ & credendi præceptum implere: & tamen „ sinè ea tractione posse hominem & venire ad Christum, & credendi præceptum implere. Dupliciter enim ipsum *posse* intelligi potest: est enim possibilitas sola ex „ *solo adjutorio sinè quo*: est & possibilitas conjuncta cum actu, & ut D. Augustinus loquitur, *Possibilitas cum effectu* Lib. de Gratiâ Christi, qua scilicet voluntas ipsa donatur ex addito *adjutorio quo*. Nemo igitur potest venire ad Christum nisi tractus à „ Patre, illa scilicet possibilitate, quæ cum actu conjuncta est, *ex adjutorio quo*, sed „ tamen potest venire ad Christum etiam „ non tractus ea possibilitate sola, quæ est sinè effectu „ .

3 Hactenus Venerandus Thomista. Supponatur igitur locutio esse non incongrua, quòd sine gratiâ efficaci non detur *possibilitas conjuncta cum actu, possibilitas cum effectu*: quæ locutio aliud significare non potest, nisi quòd actus, sive effectus nunquam detur sinè gratiâ efficaci, vel quòd sinè eadem gratiâ non detur complexum ex potentia & actu, sive effectu. Sanè etiam si nunquam actus sive effectus, & consequenter nunquam complexum ex potentia & actu, vel effectu reperitur sinè auxilio efficiente, indè tamen minimè juvatur damnata propositio, quæ sinè gratiâ efficaci non solum actum negat, nec solum complexum ex potentia & actu, ad quod negandum sufficit unam partem deficere; sed „ singu-